

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica V. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Dominica V. post Trinitatis.

Evangelium Luc. 5. v. 1. — 11.

EXORDIUM.

CUm fratres Josephi, à Patre suo in Ægyptum ablegarentur, ad emendum frumentum, ob annonæ difficultatem, quæ in terrâ Canaan continuabatur: iussit Josephus procuratorem suum, ut saccos eorum impleret tritico, & reponeret pecuniam singulorum, in sacculis suis. Fratres autem ejus nihil horum scientes, & dum domum redeunt, frumenta effundentes, singuli reperierunt in ore saccorum ligatas pecunias, Gen. 42. v. 25.

Hæc *allegoricè* interpretabimur.

Cœlestis Josephus & frater noster fidelissimus Jesus Christus, adhuc hodiè ita nobiscum ludit, quantum ad *temporalem vitam* concernit: neq; enim nos quicquam adjumenti conferre possumus, præter laborem, quem Deus cuique imposuit, in functione suâ. Quod reliquum est, desuper venit, & sæpè largius, quàm expectavimus. Benedictio enim Dei, in mercedem justii festinat, & in honore veloci processus illius fructificat, Sir. 11. v. 24. *Sed opera danda est nobis, ut Christi genuini fratres simus*, quod fit, quando voluntatem ejus facimus. Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, soror, & mater est, ait ipse, Matth. 12. v. ult.

Aliis Josephus pecuniam non reddidit: sed care vendidit: Quin imò cum pecunia deficeret, pro pecoribus alimenta iis dedit, & his deficientibus, possessiones eorum sibi oppignoravit, Gen. 47. v. 15. Sic quidem

Deus etiam impiis alimenta ministrat, & sæpè plus, quam indigent: sed *respectu ipsorum non est benedictio*: sed potius scandalum iniquitatis eorum, Ezech. 7. v. 20. Hoc ipso enim incidunt in tentationem, & desideria multa nociva, quæ mergunt eos in interitum & damnationem, 1. Tim. 6. vers. 9. Propterea etiam, quod hoc modo per fas & nefas congregarunt, mittunt in sacculum pertusum, Mal. 1. v. 6. ut ad hæredem tertium non pertingat, sed in maledictione maledictum sit, Mal. 3. v. 9.

Veri Christiani autem, qui verâ pœnitentiâ Christum accedunt, & ad exemplum Petri, ad genua Christi procidunt, optimum inde reportant, videlicet tranquillam conscientiam, & victum temporalem, quantum ad sustentationem hujus vitæ necessarium est, dat enim dilectis suis in somnis, Pl. 127. v. 3.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi Petrus, dum post auditam concionem in nomine Christi rete laxat, non modo tam copiosam multitudinem piscium concludit, ut rete rumpatur, & navicula mergantur: sed & ipse hominum piscator constituitur, quod vel nunquam ei in mentem venisset.

Nos sine ulteriori præloquio ad ipsum Evangelium progrediemur, meditaturi ex eodem, juxta propositum nostrum:

- I. Ἀποθροπολογίαν, sive *notitiam nostri.*
- II. Χριστογνωσίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

Exc.

Exegesis.

FLos in hortis alitur, qui non modò à Sole denominationem habet, sed & cum Sole convertitur. Cum diluculo ad solis ortum se invertit, inde paulatim in meridiem, & tandem in occasum; unde *Helioscopium* ille appellatur, eò quod caput cum sole circumagat; item, *Solsequium*, quia solem, quòd se vertat, sequitur.

Hac imago est omnium fidelium. Quia enim à Christo appellationem habent, & Christiani dicuntur, Act. 11. v. 26. Hic quoque unicus eorum scopus est, in vitâ & morte, ut ad Christum se convertant, & ab eò opem, consilium, consolationem, tutelam & liberationem quærant. Ipse enim Sol justitiæ est, Mal. 4. v. 2. & vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Joh. 1. v. 9.

Videmus id in populo prælecti Evangelii, qui Christum certatim insequitur. Hætenus miseri in tenebris sederant, & quasi umbrâ mortis, Matth. 4. v. 16. Sed jam Sole justitiæ exoriente, ex animo latantur, & Helioscopii naturam imitantur, sequentes Christum manè & vesperi, per integrum diem, adeo non capit ipsos satiætas concionum Christi, ex quibus nihil nisi lucem & vitam hauriebant. Factum enim est, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, ait Evangelista.

Noshinc ansam apprehendimus, ad *notitiam nostram* perdiscendam, considerantes:

I. *Populum auscultantem*, qui Christum sequutus est, non ex curiositate, sed ut audiret verbum Dei, hujus audiendi tantò fervore tenentur, ut vi irruant, ut quilibet proximus Christo esse, contendat, sicut vox *Amicus Dei* indicat: quæ causa quoque est,

ut Christus Petrum rogaverit, ut navim à terra pusillum reducere velit, quo eò commodius turbam de naviculâ docere possit.

Hunc zelum & nos imitemur, qui enim ex Deo est, verbum Dei audit, Joh. 8. 47.

Hic se unusquisque interroget, an, ut officium suum requirit, tanto ardore verbum Dei audierit?

Vetustissima consuetudo fuit, ut certæ personæ à Deo constitutæ fuerint, quæ verbum ejus prædicarunt. Ipse filius Dei primus Concionator in paradiso fuit, & partim ante lapsum Concionem legalem, Gen. 2. v. 16. 17. partim post lapsum concionem Evangelicam de benedictio mulieris semine habuit. Deinde munus hoc hominibus demandavit, sicut expressè memoratur, quòd tempore Sethi cceptum sit prædicari de nomine Domini: non, quasi ante id factum non sit, sed postquam impietate Caini cultus Dei labefactus erat, tum temporis fortè arula exstructa fuit, ad quam homines congregati sunt, ad verbum Dei audiendum, & preces fundendas, sicut B. Lutherus in margine explicat, Gen. 4. v. 20.

Sic Apostolus Judæ testis est, quòd Enochus jam tum suo tempore de extremo iudicio concionatus fuerit, ep. Jud. vers. 14.

Noah expressè præconis justitiæ titulo insignitur, 2. Petr. 2. v. 5.

Melchisedeck Sacerdos Dei altissimi dicitur, Gen. 14. v. 18. Abraham ædificavit altare in terrâ Canaan, & invocavit nomen Domini, Gen. 12. v. 8. Loth Sodomitis prædicavit, Gen. 19.

Post tempora Patriarcharum, divinum Numen Mosen, magnum Prophetam excitavit, qui non solum verbis Israëlitas docuit: sed & Dei iussa in libro consignavit, & posteritati reliquit: iste liber à temporibus

bus antiquis in singulis civitatibus, in synagogis per omne sabbathum lectus est, Act. 15. v. 21.

Huic successerunt Vates illuminatissimi, Samuel, Elias, Esaias, Jeremias, & alii plures, qui non modò verbum Dei docuerunt: sed partim etiam scriptis mandarunt, & ratione scriptorum relictorum, Majores & minores appellati sunt: hi usque ad Johannem prophetarunt, Matth. 11. v. 13. Et statim venit ad templum suum dominator, Mal. 3. v. 1. qui non modò ipse totam Judæam & Galilæam circumvixit, docens in synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, Matth. 4. v. 23. Sed ablegavit quoque discipulos suos in totum orbem, & jussit prædicare in nomine suo, poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. v. 47. & adhuc hodiè Dominus messis est, Matth. 9. v. ult. qui dat Jerusalem Evangelistas, Esa. 41. 22. Dans quosdam Apostolos, Eph. 4. 11. 12.

Quia igitur Deus omni tempore tam operosus fuit in ministerio verbi constituendo: ex natura correlatorum nostrum erit, illud diligenter audire, secus enim prædicatio frustra fieret. Nam ex auditu fides, Rom. 10. v. 17.

Quod si igitur Spiritus sanctus per verbum prædicatum in cordibus nostris fidem accendere & excitare debet, collectionem nostram non deseramus oportet, Hebr. 10. v. 25. Sed sedulo conveniamus, in eo loco, in quo memoria nominis Dei est, Exod. 20. v. 24. Aures ne obturemus, quando Magnalia Dei in suggestu proferuntur, sed cum Samuele dicamus: Loquere, servus tuus attendit, 1. Sam. 3. v. 9.

Hoc hodiè parvi æstimatur, & tamen præcipuum est, imò unicum necessarium, quod observare debemus, Luc. 10. v. ult.

Turbæ in Evangelio irruerunt in Christum, ut audirent verbum Dei. At hodiè id rarius fit, hinc patet fervorem antecessorum nostrorum planè frigere. Sed indicium pessimum est! Qui enim verbum Dei non audit, ex Deo non est, Joh. 8. v. 47. sed pertinet ad synagogam satanæ, Apoc. 2. 9. & tandem cum divite epulone, qui itidem Mosen & Prophetas audire renuebat, veniet in locum tormentorum, Luc. 16. 23. & pœnas dabit, interitum æternum, à facie Domini & à gloriâ virtutis ejus, 2. Thess. 1. 9.

II. *Petrum laborantem*, dicit enim se per totam noctem laborantem, nihil cepisse: tandem laxat in verbo Christi rete suum, & concludit piscium multitudinem copiosam.

Hic considerandum venit

I. *Auspiciam*, non enim piscaturam suam sapienter orsus fuerat: sed magis in artis peritiâ, quàm in Dei gratiâ & benedictione speraverat: sicut adhuc hodiè ejusmodi homines occurrunt, qui omnia in sapientiâ & arte suâ collocant, non cogitantes in benedictione Dei omne momentum suum esse, Non velocium est cursus, Eccl. 9. 11.

2. *Dissendium*, per totam enim noctem frustra laborando, nihil ceperat. Hæc nox fuit laboriosa & infelix. Alias piscatores ex experienciâ norunt, quod nocte tranquillâ opportunissimum piscaturæ tempus sit: sed hic ex voto succedere noluit, quia Petrus sine auspicio Dei rem aggressus fuerat. Idem hodiè non rarò Mechanicis contingit, ut orationis obliti laterem lavent, dicentes cum Petro: Nihil cepimus, Psal. 112. v. 1. 2. ult.

3. *Artificium*, quod à Christo didicit. Quia enim Christus eum jussit in altum ducere, & laxare rete: noluit mandatum hoc contemnere, sed dixit: In verbo tuo laxabo rete, & conclusit multitudinem piscium copiosam.

Sic

Sic nos fideliter laboremus, quilibet in vocatione & functione sua: sed quod bonum est, operemur, Eph. 4. v. 28. ut ad Dei gloriam & proximi emolumentum vergat. Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere &c. Col. 3. v. 7.

Hic velim, examines te, mi Christiane! annon quandoq; cum Petro, rete intempestivius, aut alio modo inconveniente laxaveris?

Nemo hic facile sese excipere poterit.

Multi virtute & robore, multi arte & peritiâ suâ nituntur, neq; Dei adjumento indigere se, sibi persuadent, sicut Ajax Telamonius, qui parenti ad preces cum exhortanti hoc responsum dabat, ut Homerus testatur:

-- Ignavi vincant auxiliante Deo.

Alii rete suam in Diaboli nomine laxant, nec modò maledicunt, quando benedicere debebant, sed utuntur etiam iniquâ ulâ, mensurâ & pondere, omnia ad lucrum componentes, & undecunque etiam ex malo acquirentes, Sap. 15. v. 12.

Hic tenuis successus sperandus est: Non enim potest accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo, Joh. 3. v. 27. Sin autem dari sibi debeat, ordinatè quærat oportet, *per Ora & labora*, quæ conjuncta esse debent, quoniam si quis non vult operari, nec manducet, 2. Thess. 3. 10. Omnia verò sanctificantur per verbû. & orationem, 1 Tim. 4. v. 5. *Observent hoc:*

1. *Pastores in Ecclesiâ*, ne in arte & eruditione suâ confidant: sed in nomine Domini retelaxent, nisi inanem operam navare velint. Non enim sufficientes sumus à nobis, quasi ex nobis: sed Spiritus sanctus nos idoneos facit, ministros novi testamenti, 2. Cor. 3. 5. Unde pius quidam Theologus sub *initium concionis* ita orsus est: *Pater cele-*

stis, sine tuo Numine, nihil est in homine vigoris: Fili Dei, sine tuo sanguine nihil est in homine honoris: Spiritus sancte, sine tuo lumine nihil est in homine amoris. Si ita fideles ecclesiæ ministri precationibus laborem suum inchoabunt, Deus benedictionem suam largietur, ne labor eorum inanis sit, in Domino, 1. Cor. 15. v. ult.

2. *Gubernatores in Politiâ*, ne sapientiâ & potentiâ suâ superbiant, sed in nomine Christi & ipsi rete suam laxent, & Deum orent, ut sibi det cor docile, ut populum rectè judicare possint, & discernere inter bonum & malum, 1. Reg. 3. v. 9.

Hoc ita fieri optandum foret! Sed quàm parum observetur, B. Lutherus inter alia indicare voluit, verba ejus, quia scita sunt, Germanicè huc transcribere minus piget: In vielen Regimentern gehets also zu: Da sitzt ein König / Fürst und Regent für sich selbst weise und klug / und hat die Sach gefast bey allen fünff Zippeln. Darzu kompt denn ein Jurist mit seinem Buch / und findet das Recht häufig drinnen geschriben / so gewiß und klar / daß es nicht fehlen kan / darnach ein grosser Hans / dem das Haupt viel zu klein ist / für grosser Vernunft und Weisheit / der findet im Natürlichen Recht so gegündet / und tieff eingewurgelt / daß es alle Welt nicht könne umbreissen. Zuletzt läuten sie alle zusammen / und brunnet die grosse Glocken mit zu / das ist ein Prælat / Bischoff oder Theologus, Er sey selbst gewachsen / oder sonst gemacht / der bringet Gottes Wort / und die Heil. Schrift. Da sitzen dann die vier Seulen des ganzen Königreichs oder Regiments / die auch wol den Himmel tragen könten. Da ist keiner / der hinauff gen Himmel seufzete / und suchte Rath und That bey Gott /

DAN

dann sie es verächtlich vergessen / als die es nicht bedürffen. Also muß denn unser **HERR GOTT** dieweil droben müßig sitzen und darff in solcher kluger Leute Rath nicht kommen / und schwätzt dieweil mit seinem Engel Gabriel / und spricht: Lieber / was machen doch die weisen Leute in der Rath-Stuben / daß sie uns nicht auch zu Rath nehmen? Sie sollen noch wol einmahl den Thurn zu Babel bauen wollen. Lieber Gabriel / fahr hin / und nim Esaiam mit dir / und liese eine herrliche lektion zum Fenster hinein / und sprich: Mit sehenden Augen solt ihrs nicht sehen / und mit hörenden Ohren solt ihrs nicht hören / und mit verständigen Herzen solt ihrs nicht verstehen. Beschließet einen Rath / und es werde nicht drauß / beredet euch / und es bessehe nicht / & factum est ita, So solts geschehen. **Hactenus Lutherus.**

Hæc verba Lutheri non insuper habenda sunt, sic enim & non aliter evenit, quando sine Deo consilia ineuntur, ut Deus benedictionem subtrahat, & plerumque malè succedat. Ideo optandum sanè foret, ut in omnibus iudiciis, Consistoriis & Curiis hoc exemplum Petri parietibus inscriberetur, ne sine Dei invocatione temerè consultarent, & agerent, nec dubitandum, quin ex voto feliciter quodcumq; successurum sit. Verum enim manet, quod cœlestis sapientia ait: Meum est consilium, & potentia, ego sum intelligentia, mea est fortitudo, Prov. 8. v. 14. 15.

3. *Patres familiâs in Oeconomîâ.* Quamvis enim sæpè dura & difficilia multa ibi videantur, tamen fidelis oratio omnia temperare & benedictionem à Deo impetrare valet, ut Davidis illud velut verificetur: Labores manuum tuarum manducabis: Beatus

es, & bene tibi erit, Psalm. 128. vers. 2.

Si ita res nostras instituemus, & Deum in omnibus Autorem adhibebimus, erit ille nobiscum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult. omne consilium nostrum confirmabit, Ps. 20. v. 5. labori nostro benedicet, Luc. 5. v. 6. dabit nobis petitiones cordis nostri, Psal. 37. v. 4. & tandem eò transferet, ubi requiescemus à laboribus nostris, Apoc. 14. v. 13. sabbathum ex sabbatho celebrantes, in sempiternum, Esa. 66. v. 23.

III. *Societatem concordantem*, quia enim piscium tanta copia erat, ut Petrus solus recte cum piscibus in navem attrahere non posset, ideò annuit sociis, qui erant in aliâ navi, ut venirent, & adjuvarent se, qui & prompto obsequio succurrerunt. Hoc indicium est, quod in bonâ gratiâ fuerint, & sibi invicem omnem benevolentiam præstiterint. Hoc ipso nos instruentes, ut & nos tempore necessitatis, proximum non derelinquamus, sed omnia pietatis, amoris & benevolentia opera ei exhibeamus. Ubi enim fratres in unum habitant, illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam, usque in seculum, Ps. 133. v. 1. ult.

Hic proba te, utrum & tibi cum proximo tuo bene conveniat, eidemq; ad salutis suæ promotionem adjumentum sine tergiversatione conferre, semper promptum te exhibueris?

Hoc quidem æquitas ipsa requirit, sed frigit caritas multorum, Matth. 24. v. 12. E contrario verò invidentia tantas radices egit, ut semper alter alteri fortunam suam invidet, & ubi emolumentum ejus, caritate Christianâ ita requirente, promovere deberet, potius impedimentum objiciet, cogitans iniquitatem, & tractans mala super

per cubile suum, ut ea luce matutinâ perficiat, Mich. 2. v. 1.

Si prosperam ei fortunam Deus largiatur, vix ex viginti unus est, qui ei ex animo gratuletur, nemo non est, quin malit sibi melius esse quàm alteri, Omnes quæ sua sunt, quærunt, Phil. 2. v. 21.

Quodsi verò rete rumpitur, & benedictio Dei evanescere videtur, itidem nemo est, qui ei ex animo condoleat, potius voluptatem capiunt ex proximi incommodis, dicentes: Euge, euge, viderunt oculi nostri, Psal. 35. v. 21. non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terrâ, Os. 4. v. 1. Sed vir fratrem suum decipit. Jer. 9. v. 5. 6.

Regiones quidem inveniuntur, ex quibus lupi exulant, sicut in Britannia, & insula in quibus animalia non inveniuntur venenata, ut de Creta historia memorant: at in toto orbe locus nullus est, in quo invidia non regnet, contemplatus sum omnes labores &c. Eccl. 4. v. 4.

Sed *vitium est turpissimum*, quod omnes Christiani cane & angue pejus fugere debent. Invidus enim sibi ipsi nocumento est, *primò ratione corporis*, juxta Flaccum:

Invidus alterius marcescit rebus opimis. Velut enim ærugo ferrum consumit: sic putredo ossium, invidia, Prov. 14. v. 30. *De inderatione anime*, quam hoc ipso præcipit in barathrum æternæ condemnationis. Inimicitia enim, invidia, æmulationes, iræ, rixæ sunt opera carnis, qui talia agunt, regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 20.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *χρησις οὐρακίας* sive *notitiam Christi*, contemplaturi. Hic nobis considerandus proponitur:

I. *Tanquam bonus concionator.*

1. *Ratione sedulitatis*, quâvis enim occasione fideliter munus suum exantlat, ubicunque homines sese offerunt, qui verbum audiant, non cessat idem prædicare. Hic navi pro suggestu usus, egregiam concionem ex illa ad populum habuit. Sic semper diligens fuit in opere, ad quod in mundum missus erat.

Hoc olim præcipuum Episcoporum officium fuit, idèò Paulus ad Timotheum, quem Episcopum in Creta constituerat, scribit: Prædica verbum: insta opportunè, importunè, argue, increpa, exhortare in omni longanimitate & doctrinâ. 2. Tim. c. 4. v. 2.

Quod etiam in primitivâ ecclesiâ fideliter obierunt, sicut de Ludovico, Episcopo Tolosæ, qui Caroli Regis Gallia filius fuit, historia referunt, quod ecclesiæ ibidem præfuerit, verbo & exemplo:

Sed quid hodie Pontifex cum Episcopis & Cardinalibus suis facit?

2. *Ratione veritatis*, non enim prædicavit inventa hominum: sed verbum Dei, ut textus judicat.

Pharisæi & Scribæ etiam concionabantur: sed pleræque conciones eorum cotendebant, ut traditiones seniorum servarentur, & decimarentur, mentha & anethum, & cuminum, relinquebant autem, quæ graviora erant legis, iudicium & misericordiam & fidem, Matth. 23. v. 23.

Idem adhuc hodie facere tenentur ministri ecclesiæ, ut omnia ex scripturis probent, & in lege testamenti Domini gloriantur, Sir. 39. v. 11. Ad legem & testimonium, Esa. 8. v. 19. 20.

3. *Ratione brevitatis*, & cessavit loqui, textus ait, nempè cum pensum suum ab-

solvisset, & quod auditoribus utile erat, protulisset.

Sic & ecclesie ministri brevitati studere debent. Hoc consilium B. Lutherus Mathesio, cum junior esset, & eundem consuleret, suppeditavit: Si vides, Auditores in maxima devotione esse, finem impone concioni: sic eo libentius redibunt. Neque enim artis est, longas conciones habere: sed hoc artis est, paucis multa comprehendere, & ita proferre, ut Auditores retinere queant, & ad usum suum adhibere. Omnia ad ædificationem fiunt. I. Cor. 14. v. 26.

II. *Tanquam piscium Dominator.* Hic enim audimus, quod, dum Petro largam piscium capturam largiri vult, pisces gregatim, ad ejus mandatum, rete intrare cogantur.

Hoc præclarum, divinæ Majestatis, omnipotentis & gloriæ ^{et majestatis} est, quæ ipsi per unionem personalem, & hanc secutam exaltationem ad dexteram Dei Patris, etiam quoad humanam naturam comunicata est. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, Psal. 8. v. 8. 9.

Idem sapius probavit. Motu magno in mari facto, imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, Matth. cap. 8. v. 26. 27.

Aliâ vice super mare ambulavit, & Petro quoque potestatem hanc dedit, Matth. 14. vers. 20.

Cum pecuniâ destitueretur, & didrachmam solvere deberet, Petrum jussit piscem capere, in cujus ore inventa est statera. Matth. 17. v. 27.

Quam facile post resurrectionem discipulis suis, qui piscatum iverant, multitudinem piscium procurare potuit: Mittite, dicebat, in dexteram navigii rete; & inve-

nietis. Quod cum fecissent, ceperunt centum quinquaginta tres. Joh. 21. v. 6. 11.

Ecce, Dominum potentissimum! Cujus manum pater cœlestis in mari posuit, & in fluminibus dexteram ejus, Psal. 89. v. 26. Ergò hinc colligimus, quod verus Deus & Dei filius sit. Sicut enim Dominus Balanæ dixit, & evomuit Jonam in aridum, Jon. 2. v. 11. Sic & Christus mari obsequium imperavit. Hoc non hominis, sed Dei opus est, qui omnia, quæcunque vult, facit, in cœlo & in terrâ, in mari, & in omnibus abyssis. Psal. 135. v. 6.

Quod si itaque Creaturæ irrationales ad eò promptè Christo obsequuntur: nos qui ratione præditi sumus, multò magis verbo ejusdem obedientiam præstemus. Nisi hoc fecerimus, creaturæ irrationales nos aliquando in judicio accusabunt, & damnabunt. Cui enim multum datum est, multum quæretur ab eo, Luc. 12. v. 48.

III. *Tanquam meticuloforum Consolator.* Cum enim Petrus super rarâ piscaturâ hæc consternatus, & peccatorum suorum recordatus, genibus Christi advolveretur, inquit: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine: non abjicit eum Christus, neque exit ab eo: sed potius ait: ne metuas. q. d. peccata tua tibi remissa sunt, non morieris, sed potius columna ecclesie futurus es in regno meo. Sicut in præsentia locupletem piscium capturam fecisti ad verbum meum: sic in posterum reti Evangelii homines plurimos ad regnum cœlorum capies, ut illi à viâ errorum conversi, ad vitam æternam conferrentur.

Petrus non rectè fecit, quod cum à se exire jussisset, quem potius ad se vocare, & ut maneret secum, invitare debuisset: pro-

propterea hanc in parte imitatores ejus esse non debemus; aliquid humani passus est: potius quotidie suspiremus: Veni ad me Domine Jesu! qui venisti querere, & saluum facere, quod perierat, Luc. 19. v. 10. Veni ad me, qui in mundum missus es, non ut judices mundum, sed ut salvetur mundus per te, Joh. 3. v. 17.

Si hunc Dominum tecum habes, simul quoque cum eo habes justitiam, quæ Deo valet, 2. Corinth. 5. vers. ult. habes eum, qui Advocatus tuus est apud Deum, 1. Joh. cap. 2. v. 1. Habes eum, quem Pater cælestis proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25. imò eum, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere &c. Act. 10. v. 43.

Ideirco animosus esse poteris in omnibus calamitatibus; non te deseret, neque derelinquet, Hebr. 13. vers. 5. Ne timeas, Esa. 41. vers. 10. Hoc tantum solatium est,

quo in vitâ & morte nos sustentare valeamus, cum Davide dicentes; Dominus mihi adjutor, non timebo, Ps. 118. vers. 6. Et cum Paulo: Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. v. 31. In vitâ æternâ demùm nos consolabitur ut mater, Es. 66. vers. 13. & post vitâ hujus miseras exantlatas, exhilarabit, suscipiens nos in habitationem pacis, Esa. 32. v. 18. ubi omnia, quæ propter nomen Christi deseruimus, centuplo recuperabimus, Matth. 19. v. 29. sequentes agnum quoquo ierit, Apoc. 14. v. 4. in tantâ lætitiâ & gloriâ, quam in his terris oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, 1. Cor. c. 2. v. 9.

Quam nobis omnibus largiri dignetur, cælestis Pater, per filium suum Jesum Christum, Dominum & Servatorem nostrum Jesum Christum,
Amen.

Dominica VI. post Trinitatis.

Evangelium, Matth. 5. v. 20. — 26.

EXORDIUM.

DE Melchisedec nobis constat, quod non modò Rex Salem: sed & Sacerdos Dei altissimi fuerit; cui Abraham de omnibus decimas dedit. Gen. 14. v. 18.

Hic Melchisedec *typus Christi* est: sicut non modò, Psal. 110. v. 4. sed & Epistola ad Hebræos ei applicat, c. 7. v. 3.

1. *Ratione nominis.* Melchisedec enim interpretativè est *Rex justitia*: hoc optimè Christo convenit, qui non modò ex se, & per se est Sanctus sanctorum, Dan. 9. 24.

& justus Dei servus, Es. 53. 11. sed meritis quoq; nobis est justitiam, quæ coram Deo valet, propterea vocatur Jehova zidkenu, Dominus justitia nostra, Jer. 23. v. 6. est enim finis legis, ad justitiam omni credenti, Rom. 10. v. 4.

2. *Ratione generis.* Melchisedec sic describitur, quod fuerit sine patre, sine matre, & sine genealogiâ. Non quasi *αὐτὸς ὁ θεὸς* & *αὐτοθεὸς* fuerit: sed quia parentes ejus in scripturis non exprimuntur: De Christo autem potiori jure affirmari potest, quod verè